



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

35. An emere schedulam Habitus D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ab aliquo Ministro Regis, sit Symonia? Et docetur, quod si non pro schedula, sed pro laboribus assumptis pecunia præbeatur tertio ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

post seq. §. Narbonensis in recopil. tom. 1. tit. 5. leg. 8. glossa unica, Nec valet, num. 14. & Vivianum in praxi noviss. Juris patronatus, inter med. & fin. vest. part. 2. lib. 6. cap. 2. num. 17. ubi testatur se fuisse decisum in Rota Romana cotam Seraphino die 4. Junij in aliis mul. 1586. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem die 10. Novembr. 1609.

5. Nec valet dicere cum Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 27. num. 6. quod dato hos Ordines non esse verè Religiones, tamen eo modo, quo sunt Religiones, habent aliquid spirituale & invendibile, nam respondeo cum Aragonio in 2. 2. quæst. 100. art. 4. & aliis; quod quamvis ordinentur hujusmodi Religiones, ultimatè ad divinum cultum, proprius tamen earum finis est quid temporale, scilicet in militia: sed cum non ultimi, sed proximi finis sit habenda ratio, non erit simonia, dare aliquid, ut quis in his Ordinibus adscribatur; & ideo Raphaël de la Torre tom. 2. in 2. 2. D. Thom. quæst. 100. art. 4. dist. 3. Villalobos, Suarez, Aragonius & alij penes ipsos docent, non esse simoniam, si Rex vendat las Encomiendas supradictorum Ordinum.

6. Sed instabis dicendo supradictos Doctores asserere quidem, non esse simoniam vendere dictas Encomiendas, tamen omnes asserunt, si Rex faceret, esse peccatum mortale. Ergo hoc etiam dicendum est in casu nostro Respondeo negando consequentiam; nam in casu, de quo loquimur, Rex ad preces tantum aliquis privati sine ullo pretio, & pecunia confert habitum Equiti habenti, ut suppono, omnia requisita necessaria; Eques verò est ille, qui pro labore, ab intercessore suscepto dat ei in pretium aliquam pecuniarum summam, quod si excedat laboris mensuram, dum dictus Eques, ut omnes facere possunt, illud plus, quod labor ille non meretur, gratis, & liberaliter remittat, nescio quo pacto in tali negotiatione culpa intervenire possit. Salvo semper meliori judicio; & præsertim præstantissimorum Hispaniarum Doctorum, quibus hæc corrigenda humiliter, & ex corde submitto.

RESOL. XXXV.

An emere schedulam Habituum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ab aliquo ministro Regis sit simonia? Et docetur, quod si non pro schedula, sed pro laboribus assumptis pecunia præbatur tertio impetranti, & si ex pacto fiat, nullo modo illicitum est. Et an Habituum prædictorum Ordinum, non sit Habituum Religionis verè, sed secundum quid? Ex p. 9. tract. 9. & Misc. 4. Rel. 35.

Sup. hoc in Res. præterea in princ. & signanter & melius in §. Deinde.

§. 1. Quidam Auctor modernus, me sæpè parùm modeste impugnans de opinionibus satis probabilibus, quem ex consilio Doctorum virorum sententio multavi, ad propositam difficultatem affirmative respondet; sed nominatim contra illum insurgit doctus Ioseph Ianuarius in Resolut. moral. part. 1. resolut. 6. per totam, in quam citato negativam sententiam firmat, quam etiam me citato tenet ex Societate Iesu Stephanus Fagundez de Contract. lib. 5. cap. 20. n. 9. ubi sic ait: Quæstio est, utrum licitum sit pretium cuidam tertio dare, ut Caium admittere faciat, & adscribere inter Milites, & Equites D. Iacobi, Christi, Alcantaræ, & Calatravæ, illorumque Habitum, & Commendam insigniri? Et supponimus, illum esse idoneum ad talem Habitum, & Commendam, & Benemeritum illius. Supponimus etiam eum, cui pretium porrigitur, plurimum valere apud Regem vel apud ministros Regios, qui tamen Habitum, quam Commendam conferre possunt; tandem supponimus cum com-

muni Doctorem, eam gratiam, quam habet erga Regem pretio esse æstimabilem, mercede temporalem, & illam, & laborem, quem positurus est in eo negotio assequendo, plus, minùve tantum in ætimatione hominum valere, quantum æstimatur, valereque pretium, quod ex pacto accipit, & si quid plus valet, libentissimè & liberalissimè illud plus donare; similiterque si pretium excedit ætimationem, laboris & gratiæ, tantum illud plus libentissimè, & liberalissimè illud remittere, & condonare accipienti! Et in his terminis negat Azorius tom. 3. libr. 13. capit. 16. ubi ait; Id esse illicitum, quia est Simonia, & venditio Habituum Religiosi Ordinis, & Commendæ, & consequenter dicit, ligari excommunicatione summo Pontifici reservata, contenta Extravaganti 1. de simonia, ut notat Reginaldus tom. 2. lib. 23. cap. 12. num. 173. & hanc opinionem Azorij debent tenere omnes illi Auctores, qui asserunt, prædictos Equites esse verè Religiosos, & illorum habitum sacrum & Religiosum esse: quos supra citavimus §. de Equitibus verò. Dicendum tamen est, in præfatis terminis loquendo, non solum id non esse simoniam, sed etiam rem esse licitam, absque ullo peccato fieri posse, & de illa cum accipiente pacifice, & in illis terminis id tenet expressè Diana tract. 2. de dubiis regularibus, res. 64. initio, juncto §. instabis. Debent tenere id omnes, qui dicunt, non esse simoniam vendere Commendas; quos ita docet, & citat in citabimus in §. Attamen, & illi etiam, qui tenent, in hoc hujusmodi milites non esse verè Religiosos, nec Habitum illorum Religiosum esse, sed insignie tantum notabilitatis, ita Fagundez; qui postea validis rationibus hanc sententiam confirmat.

2. Idem etiam me citato, tenet Machados de perfectio Confess. tomo 2. libro 5. parte 4. tractat. 2. de cuni. 1. num. 4. sic asserens: [No es menos controvertido entre los Doctores, si el vender los Habitos de las Ordenes militares sea materia de simonia; Graves Auctores sentent que si, fundados en que no solo las Encomiendas que tiene la Ord. de San Juan son beneficios Ecclesiasticos, sino tambien las de Santiago, Alcantara, y Calatrava, &c. Pero la mas probable y recibida opinion es, que en la venta de los Habitos de las dichas Ordenes Militares no se comete simonia, por no ser beneficios Ecclesiasticos las Encomiendas, sino cosa temporal, y precio æstimable que se da a los Cavaleros militares con titulo laical para ayuda de costa, y estipendio por los servicios que han hecho, & se espera harran en guerra contra los enemigos, de la Santa Iglesia.] Hæc ille. Vide etiam Ludovicum à San Juan discul. 2. dub. 1.

3. Probatum hæc opinio primò, quia juxta meliorem opinionem, Habitum prædictorum Ordinum, non est habitus Religionis verè, sed secundum quid; non ergo erit simonia, illum pretio, modo præfato, procurare, sed nec erit etiam illicitum. Secundò, quia ille habitus hodie post dispensationem in votis castitatis perpetuæ, paupertatis, & carentiæ propriæ, & rigorosæ obedientiæ à Summo Pontifice obtenda, manit ille habitus, in signe honoris honorificentissimum, non insignie Religionis personarum, quæ Deo per vota Religionis substantialia consecrantur, & idè quando quis cum alio pacifiscitur, ut habitum sibi pretio obtineat, aut illum emit, non emit illum tanquam insignie Religionis, sed tanquam insignie quoddam honoris secularis, pretio æstimabile; quare si aliunde est idoneus ad illum, & non datur excessus considerabilis pretij & laboris ex utraque parte, aut si datur libenter, & gratiosè, ad invicem remittitur, non video cur hoc illicitum sit. Alias rationes videbis apud Ianarium loco citato, qui responder ad argumenta, quæ contra me dictus Auctor modernus adduxerat.

De Simonia, &c. Resol. XXXVI. 335.

4. Nota quod Ianuarius, me citato, ubi supra docet, quod si non pro cedula, sed pro laboribus assumptis, pecunia præbeatur tertio impetranti, & si ex pacto hoc fiet, pullo modo illicitum est. Immo si pretium exuperat labores assumptos; & qui emit intelligit donare gratis tali tertio, magis hoc licitum est, & nullo modo est simonia. Sed de hoc.

RESOL. XXXVI.

Excusatur quædam conventio Equitum Ierosolymitanorum à labe simoniaca.

Et inter alia, quæ in textu hujus Resolutionis inferuntur, & docentur, maxime deducitur in criminalibus esse amplectendam opinionem, quæ favet reo, relicta probabiliore, & aliquid de consuetudinibus agitur.

Et queritur, an si unus ex concurrentibus det alteri pecuniam, à concursu desistat, ob impedimentum tollendum, committat simoniam?

Et an pactum cum aliquo, quod non concurrat in ordine ad hanc electionem, & ego non concurrat secum ad sequentem, licitum sit?

Et tandem queritur an Commenda Equitum D. Iacobi, Alcantara, Calatrava, &c. sint beneficia Ecclesiastica, & materia simoniæ?

Et an prædicti Equites sint vere Religiosi?

Et in textu hujus Resolutionis alias curiosas difficultates invenies signanter à S. Probatur secundo, usque in finem. §. Probatur tertio, & in fine. §. Notandum est. Sed aliæ earum jam iterum adscriptæ sunt in hoc ipsomet tractatu, Ex p. 6. tract. 8. & Mil. §. Rel. 17.

§. 1. S. Vpposita veritate facti, satis in discursu, & sumario enarrata, assero ex multis rationibus Dominum de N. immunem esse à labe simoniæ. Primo, quia commenda Religionis Melitanæ ferè semper non sunt materia simoniæ, non enim debent inter beneficia Ecclesiastica annumerari, quia conferuntur titulo Laico, nam dantur in stipendium pro temporalibus servitiis: ergo non sunt aliquid spirituales, sed tantum temporalia quædam subsidia, & alimenta militaria, & ideo hanc sententiam tenent communiter Theologi, & præcipuè inter illos Suarez, Rodriguez, Ledesma, & Vega, quos citat, & sequitur Castus Palaus tom. 3. tract. ult. disp. 3. punct. 13. num. 15. quibus ego addo Filliucium tom. 3. tract. 45. c. 6. n. 4. Aragonium in 2. 2. D. Thome, quæst. 100. art. 4. Cælestinum in Comp. Theolog. Moral. tract. 7. cap. 5. quæst. 9. Villalobos in summa tom. 2. tract. 37. difficult. 14. num. 2. Juncto, n. 3. in fine. Lez zanam in sum. Quæst. Reg. tom. 1. c. 5. num. 26. Bonacinam tom. 1. disp. 1. de Simonia q. 4. num. 25.

2. Nec valet dicere, quod sacra Rota olim contrariam sententiam tenuit coram Puteo lib. 1. decis. 282. & coram Maranta decis. 68. & ex illa postea Parisius de considen. quæst. 17. Garfias de benefic. tom. 1. part. 1. cap. 4. num. 1. Molfesius in summa tom. 1. tract. 6. cap. 2. num. 29. Sanchez in opusculo tom. 1. lib. 1. cap. 2. dub. 14. num. 8. & alij penes ipsos. Non inquam valet hoc dicere, nam licet penes me authoritas Sacre Rotæ sit maxima, tamen ratio per quam statuit dictas Commendas esse beneficia, mihi non placet, asserit enim dictos milites esse Religiosos, & dictæ Commendæ non dantur nisi Religiosis professis & ideo videtur annexæ statui Religioso, quem constat esse spirituale. Sed respondeo cum Villalobos, & Aragonio, licet hujusmodi Religiones ad divinum cultum ultimæ ordinentur, proprius tamen finis eorum instituti est quid temporale, scilicet militia: & non ultimi, sed proximi finis est habenda ratio. Ergo, &c. vel respondeo cum Suarez, & aliis Theologis ubi supra hujusmodi Commendas non tradi Religio-

sis ob professionem, tanquam ob titulum, sed tantum ob conditionem sine qua non conferuntur. Pontifex enim non vult illas Commendas conferri, nisi Professis; consequenter in recepturo hujusmodi Commendas requiritur professio ut sit habilis ad eas recipiendas: non tamen hinc sequitur hujusmodi Commendas esse aliquid spirituale; sicut si Pontifex præcipiet bona aliqua temporalia distribui inter Religiosos, non ob id illa bona essent spiritualia, seu annexa titulo spirituali, & ideo pensiones non efficiuntur spirituales, quod supponant primam tonsuram, si nullam secum afferat spiritalem obligationem; nec talis existimanda est obligatio quam habent dicti milites recitandi aliquas preces: hic autem est titulus spiritualis: ergo hujusmodi Commendæ conferuntur titulo spirituali. Nam respondeo illam precum obligationem non oriri ex Commenda, sed ex Professione, & Regula: sicut Laici aliquarum Religionum obligantur ad privatas quasdam preces; unde fructus Commendæ non sunt revera stipendia pro tali divino officio, sed pro temporali ministerio Militiæ, quam quidem Militiam esse opus temporale pretio æstimabile dicendum est, quod ætimationem suam non amittit, etiam si fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei, ut fusius explicat Suar. n. 8. & alij ubi supra, qui etiam addunt non obstat, quod dicti Commendatarii aliquando habeant jus præsentandi in Ecclesiis suis aliquem Clericum sui ordinis, ut beneficium in tali Ecclesia obtineat, quod totum spirituale esse videtur: nam respondent illud se habere per modum juris patronatus, quod antecederet est annexum beneficio Ecclesiæ, & quasi inest Commendæ temporali tanquam fundamento, & transit cum ipsa Commenda: si verò instabis, Suarez, & alios citatos Doctores loqui de Commendis Equitum Divi Iacobi, &c. & non de commendis Equitum Divi Ioannis, inter quos, ut tenet Molfesius loco citato, & novissimè Fagundez de Iustis lib. 5. cap. 20. n. 11. est magna differentia: nam isti sunt verè Religiosi, illi autem non. Respondeo Equites Divi Iacobi ex communiore sententia esse verè Religiosos, ut ego satis firmavi in part. 2. tract. 2. resolut. 49. & 72. tract. 6. resolut. 23. & part. 3. tract. 2. resolut. 30. & me citato docent novissimè Amaia in Codicem, l. b. 10. tit. 39. num. 15. Marchin in res. pro jure ordin. milit. art. 2. numer. 7. & Sperellus decis. 2. num. 58. ubi plena manu, & ad satisfactionem adducunt Doctores hanc sententiam tenentes, & dato & non concessio, quod dicti Equites non sint verè Religiosi, nam in ordine ad committendam simoniam hoc nihil obstat: nam ut rectè observat Suarez loco cit. num. 6. satis ostendit, quod eo modo, quo sunt Religiosi, spirituale aliquid habeant, & invendibile, cui videntur annexæ eorum Commendæ, & tamen hoc non obstante, ut probatum est, supra citati Doctores constanter asserunt Commendas dictorum Equitum non esse materiam simoniæ; ergo, & idem dicendum est de Commendis Equitum D. Ioannis, cum in utrisque eadem militet ratio, & ideo hanc opinionem firmavit Summus Pontifex Iulius II. in Bulla dat. Romæ apud S. Petrum anno 1505. Kalend. Iulij Pontificatus sui anno 2. ubi clarè asserit Prioratus, Præceptorias, &c. Religionis Melitanæ non esse Beneficia, & Pius II. in alia Bulla, anno 1460. Kalend. Martij idem etiam asseruit. Vnde bona venia Canonistarum, quos ego sæpè libenter sequor, circa hanc questionem, potius Theologis adhaerendum esse putollet ex illis contrarium asserat Aprius tom. 1. lib. 13. cap. 6. quæst. 2. ego ad firmandam nostram sententiam adducam ex Canonistis Ioannem Quintum in Repetit. ad cap. de multa, de Præbend. numer. 8. & à numer. 15. ad numer. 163. ubi in specie docet Præceptores vel Commendatarios Divi Ioannis non esse Beneficiarios, nec beneficium habere, sed administrationem, & officium, quod

Dux primæ res. citat. & in hoc text. hic sunt in to. 9. tract. 2. res. 262. & 169. Tertia vero nunc inveniuntur in to. 7. ref. 3. Ref. 54. Quarta reperitur ibi in tr. 1. Ref. 99 & sup. hoc ibi in ref. 100. cursum & in ref. 149. §. Quæro secundo, & hic super. in Ref. 34. §. Adde & in Ref. 35. §. 1. cursum prop. 3. & in to. 3. tr. 1. Ref. 79. cum multis DD. in §. 2. & in to. 4. tr. 3. Ref. 98. à lin. 1. & vers. Ex doct. & in Ref. 99. à lin. 2. & in to. 8. tr. 1. Ref. 11. §. 1. & seqq. & ibi in tr. 4. Ref. 28. à lin. 2. & in to. 9. tr. 2. ex doct. Ref. 167.